

L. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
exhibens
Articulum
DE
MORTE ÆTERNA,

Quam
Sub PRÆSIDIO
VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimique*

D. N. JOHANNIS Deutschmann/
Doctoris Theologi famigeratissimi, alu-
mnorum Electoralium Ephori gravissimi, Ordinisque
Theologorum Decani Specta-
tissimi,

*Dn. Patroni, Præceptoris, ac Promotoris Studiorum suorum
æternùm suscipiendi,*

In Illustri Academia Wittebergenfi
proponit,

& defendendam excipit,

GEORG. MELITZ, Arens-
burgo-Livonus,

Ad diem Decembr. horis locove consuetis.

WITTEBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII.

Coll. diss. A
162, 6

54. A. 162 (6)

St.

St. St. St.

MORTE ETHERNA.



DR. JOHANNES ...
als ...

GEORG ALBERT ...

72



F. F.

PROOEMIUM.

Vigilate, & parati semper sitis, quia, quā
hora Dominus venturus sit, ignoratis. Ut
bariolor. Christus nos monere videtur,
ut semper prompti simus ad adventum ejus, ne de-
inceps cum Phrygiis sero sapere discamus. Et hæc
sane haud absque ulla ratione. Quaeso enim, quid-
nam utilitatis ex omni pietatis cultu caperemus, nisi
etiam rationem haberemus extremi judicii, quō, si-
mul ac Christus forma visibili è cælo reversurus. Act.
I. v. 2. Summā cum gloria ac Majestate vivos &
mortuos judicaturus est. Matth. 25. v. 31. Nec est,
quod quis ambigat, in omnibus quippe DEum fidelem
invenimus, num quid ultimis hisce temporibus men-
dacii argui se patietur? eapropter enim constituit
filium suum judicem, ut judicet orbem in equitate, ac
itaque unusquisque referat, quæ in corpore suo fece-
rit, sive bonum, sive malum. Proinde semper tuba
illa terribilis nostris perstrepat auribus: Surgite
mortui, venite ad judicium! quō ita omnis motus se-

A 2

curita-

curitate in singulos dies, & horarum momenta, ad
adventum ejus nos præparemus, & ne imparatos nos
dies ille opprimat, provideamus. Nec vel id nobis se-
curitatem, aut ad minimum ansam dubitandi sugge-
rat, quod differatur illud judicium; quod enim dif-
fertur, non statim aufertur; differt quippe ideo,
ut piorum fidem, spem, patientiam & invocationem
probet; ut numerum electorum adimpleat. Apoc. 6.
v. 11., utque impios inexcusabiles reddat. Interim
tamen, quoniam differtur, nobis non licet impune pec-
care, vel illam dilationem floccipendere, tarditatem
enim gravitate compensabit; nec vel ideo secure vi-
vere nobis concessum erit, quoniam certum ac desti-
natum tempus hujus judicii ignoramus; latet ultimus
dies, ut observetur omnis dies, ut fur in nocte veniet,
& sicut fulgur ab oriente versus occidentem. Insti-
tuto vero jam hocce judicio extremo seu univ[er]sali o-
mnes sistemur ante tribunal DEI, ubi rationem red-
demus de tota vita nostra. Prout igitur quisque ege-
rit, ita ipsi solvetur: qui bona egit, ibit in vitam æter-
nam, qui mala, in mortem æternam, ubi erit fletus ex
dolore, stridorque dentium ex furore, vel, ut Bernhar-
dus: fletus ob ignem, qui non extinguitur, stridor ob
vermem, qui non moritur. Cum vero quædam de
morte æterna scribere constituerim, [non quasi nova
dogmata tradere aut proferre, nobis animus esset, sed

166

*nos hac in tam ardua materia aliquantisper exerce-
remus] itaque post habitò ampliori proœmiò, ut ad rem
ipsam nos accingamus, moneri videmur.*

§. I.

ARticipuli autem hujus cognoscendi necessitatem ipsemet
Christus nos docet, quando Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 24. au-
ditores suos his verbis adhortatus legitur: ne secuti multitudi-
dinem à recto salutis tramite in viam exitii se abduci patian-
tur, sed ut cum timore ac tremore suam quisque operetur sa-
lutem, maximè curam habens, ne quis sibi palmam salutis in-
tervertat, neve à recta via ad præcipitia abstrudatur. Unde
venuste Chrysoſtomus. homil. 13. in Epist. ad Rom. utinam in
tabernis vinariis, reliquicque commensationibus & balneis,
imò & ubique de Gehenna disputaretur; non enim finet in
Gehennam incidere, gehennæ meminisse.

§. II.

Ne verò in auras dixisse videamur, meritò necessum esse
ducimus, ut primò compendiarium notitiam hujus rei depro-
mamus, quo deinceps quasi ductricem habeamus, & ita ejus
ope ulterius progredi queamus. Est itaque æterna mors
horribilis & ineffabilis damnatorum pœna, ubi & corpore &
anima simul à conspectu DEi, ejusq; favore omni excluden-
tur, & cruciatus sustinebunt sempiternos. Seu: Et infelicis-
simus ille status, in quo ex justo DEi judicio homines, finali-
ter increduli Diabolis in carcere infernali associatis, quâ ani-
mam quidem statim post dissolutionem à corpore, & tandem
in universali judicio latâ sententiâ, quoad utramq; compositi
partem, gravissimis atq; ineffabilibus cruciatibus in æternum
torquebuntur, in justitiæ & veritatis divinæ laudem, piorumq;
gloriam & exultationem. In descriptionibus datis diversa
nobis proponuntur, de quibus ut distinctè agamus, con-
ducibile esse videtur.

§. III.

Considerantes vero primo loco æternæ morti tradendos,

cernimus, eos esse tum homines malos, tum cacodæmones; Quod concernit homines impios, illud ipsum tum experientia tum SS. affirmant. Quantum enim numerum indies videremus malitiosorum l. DEum blasphemantium (aliàs athei practici) l. piis nocentium? Qvin imo in medio Ecclesiæ militantis cœtu, ubi verbum DEi purè docetur, & sacramentariè dispensantur, ne quarta pars quidem, eaq; omnium minima salvatur ac convertitur Luc. 8. Hinc, licet electorum numerus in se consideratus sit quodammodo infinitus, tamen si componatur cum serie reproborum, omnino hancillum (scil. numerum) excedere, asserit Christus Matth. 7. v. 13. 14. Luc. 13. v. 24. Nec tantū illos intelligimus, qui quidem sunt in Ecclesia sed non de Ecclesia, verum etiā omnes, tum extra Ecclesiā Joh. 3. v. 18. ut judæos, gentes, Turcas. &c. (puta, ut Judæos, ut Gentes, ut Turcas, his enim, si ope Spiritus S. ad Ecclesiam convertuntur, quis dubitabit denegare salutem?) tum in Ecclesiæ finibus constitutos, ut pseudopphetas; Matth. 7. v. 23. quos à conspectu suo abiget Deus, & in stagnum ignis ardentis sulphure conjiciet. Apoc. 19. v. 20. Christo gehennæ igni addicet omnes hypocritas. Matth. 22. v. 12. qui externis judicati gestibus omnium piissimi visi sunt, cum verò scrutator cordium advenerit, omnium miserissimi inventi sunt. Qui ornatum cœlesti palatio dignum non gestare comperti fuerint. Qui cœlestibus terrena præferunt. Luc. 14. v. 24. Qui in apertum convitium profiliunt. Matth. 5. v. 22. Petrus inferis illos adjudicat, qui illecebris inhiant, artificiose magistratum convitiis & probris afficere norunt, & quamcunq; juris publici reverentiam tollunt. 2. Pet. 2. v. 19. & Paulus ad orcum usq; determinandos existimat, qui proximo imponunt, rapide aliorum bona adspirant, vel tanquam harpyæ hinc inde ad se trahunt; & alios ejuscemodi farinae socios l. Cor. 6. v. 9. 10. Pravos; ergo duntaxat homines ad infernū l. mortem æternam pertinere colligitur, Hinc Cyrillus lib. 6. c. 10. p. 314. Non omnibus illa est communis, d. pravis duntaxat, & corruptæ vitæ hominibus est peculiaris, summopere tamē formidanda, quoniam

niam

niam non temporalis est, aut momentanea, sed interminata & perpetua. Nec id officit, quando sancti ad inferos se detru- di asserunt. ut patet ex 1. Sam. 2. v. 6. ubi exstat; Jehova mortifi- cat & vivificat, descendere facit ad inferos, & ascendere. Ita etiam David, ps. 116. v. 3. clamat. Circumdederunt me do- lores mortis, & angustia inferni invenerunt me. Intelligun- tur quippe hic tantummodo tentationes & pericula longè gra- vissima; Pii enim ad tempus probantur & iterum liberan- tur, impii v. quas hic pœnas sentiunt, inexplicabilibus conti- nuare coguntur modis. Conscientia pios etiã sæpissimè pun- git, sed immersa in vulnera, sanguinem, mortem; resur- rectionem, & victoriam Christi, acquiescit & exhilarescit. Lu- ther. Tom. 4. p. 368. Purgatorum à me assertum jaçant Papi- stæ & antilogistæ, & adhuc assero, sed illud, quod in psalmo frequentatur, ubi sancti laudant Deum, quod ab inferno in- feriori de tenebrosis & umbra mortis, de manu inferi, de peri- culis inferni, de finibus & portis mortis liberati sunt &c. Hoc purgatorium non fictum, d. res ipsa, & nimium serium his, qui cum Prophetis & sanctis omnibus, in Schola Christi di- scunt hanc duram lectionem: Deducit ad inferos, & reducit, mortificat & vivificat. Deinceps & Cacodæmones hujus mor- tis participes fieri asseruimus, & quidem ex 2. Pet. 2. v. 4. de iis quippe dicitur quod Dei judicio deputati, captivi teneantur, & probè custoditi asserventur, ut tandem in exteriores tenebras abjiciantur, nec ullo pacto manibus Dei elabi possint, sumptâ similitudine à maleficis, qui postquam damnati carceris atro- citate, dimidiū pœnæ sustinent, donec ad ultimum trahantur supplicium. Hinc etiam de animabus impiorum dicitur, quod à corpore separata, tam diu in inferno reserventur & crucien- tur, donec in extremo die cum corporibus uniantur, & demū in Gehennam præcipitentur.

§. IV.

Quod vero hi damnati & quidem præcipuè homines mortis æternæ fiant participes, non factum est ex judicio DEI absoluto, puta, mera, sola, simplici, nuda & præcisâ volun-
tate

tate, ordine, omnes salutis & damnationis causas antegrediente cujusve alia causa dari & assignari non possit, sine ullo l. meriti Christi, l. fidei in Christum respectu, esse aliquos duntaxat ad vitam æternam prædestinatos & solis hisce itaq; consequenter media salutis, ceu Christum Redemptorem, verbum prædicatum, & fidem efficaciter destinata, reliquis omnibus ex sese & propter sese æterno supplicio præcisè destinatis, ut volunt Calviniani. Conf. Beza quæst. & resp. vol. 1. fol. 687, seqq. it. resp. secunda ad acta colloquiorum mompelg. præfat. p. 7. 8. & p. 160. 194. conf. Joh. Gerhard. disp. 10. p. 516. 517. Verum, minime sic res in veritatis tramite manet. Nam ignis æternus dicitur præparatus fuisse Diabolo & angelis ejus. Matth. 25, v. 42. nempe propter ἀποκατάστασιν, non hominibus. hinc Theophylact. super h. l. vide, quod DEUS ignem non præparavit hominibus, supplicium enim non fecit propter nos d. propter Diabolum & Epist. 211. ad Julian. Infernus paratus est Diabolo & illis, qui faciunt opera Diaboli. 2. Quia ut electio non facta absoluta, d. in se continet meritum Christi & fidem act. 13. v. 28. Tim. 1. v. 9. 10. 2. Thes. 2. v. 13. Ephes. v. 4. 5. ita nec reprobatio est absoluta. Mar 16. v. 16. Joh. 3. v. 19. act. 13. v. 46. Rom. 11. v. 20. 3. Definitio reprobationis apud Fulgentium lib. 1. ad monim. aliud docet. Ita enim scribit: Reprobatio est, quod Deus iniquos, quos præscivit, hanc vitam in peccatis esse terminaturos, destinat supplicio interminabili puniendos. Et certe, si res secundum voluntatem Dei antecedentem procederet quæ omnes homines peccato perditos, per Christum fide apprehendendum salvare constituit, nullus sanè hominum interiret, sed voluntas hominum ejus voluntati resistit, & ex propria sua malitia deficiunt, nec impelluntur, ut cadant, nec rejiciuntur, ut deferant, casuri tamen & recessuri ab eò, qui falli non potest, præscinduntur, ut loquitur Augustinus ad articulum: imposit. 15. Deinceps, nec voluit perire Dæmones ex absoluto decreto, hoc enim est contra gratiam ipsius infinitam sed dedit illis liberum arbitrium, cujus abusu facti sunt, cacodæmones quia originem suam non servarant, domicilium sibi traditum deferue-

feruerant, sua ipsorumq; pravitate mendacii Patroni, veritatis detrectatores facti sunt. Joh. 8.v.44. sanctitatem reliquere, immunditiam arripuere. Luc. 11. v. 24. idcirco æternæ iræ DEi subiecti sunt merito. Nec causa damnationis impiorum potest dici imbecillitas in Spiritualibus, creaverat quippe Deus ipsos in essentia perfecta, in essentia sibi debita, in sanctitate & iustitia, ut omnia, quæ ab ipsis requireret, præstare possent, hi vero ipsi erant in culpa, quod exciderint gratia DEi; hinc, quo facilius servandi legem potestas, eò difficilius transgressæ legis pœna. At DEus iterum statim post creationem, hominum misertus est, & promisit nobis semen mulieris contrituro caput serpentis, (unde probatur θε ἀνδρωπος, nam semen mulieris est homo, contritio capitis serpentini est opus divinum, ubi verò opus divinum, ibi divina influenza, ubi divina influenza, ibi divina essentia, ubi divina essentia, ibi ipse Deus. DEus vero & homo in una hypostasi constituunt θε ἀνδρωπον) quæ promissio jam DEi gratia adimpleta, quod iterum (scil. semen mulieris) pro nobis est passum, & nos cum DEo reconciliavit. Atq; ita DEus nos rursus adoptavit, & hæredes constituit, qui vero jam adoptari renuunt, habeant sibi se ipsos fallunt, non DEum. hinc Ambros. serm. 8. in Pl. 118. Sol iustitiæ omnibus est ortus, omnibus venit, omnibus passus est & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat. Quod vero Deus nostri tantum, & non cacodæmonum sit misertus, id factum ob rationem, dicente Friedlibio, loc. de ang. h. l. quia Diabolus peccarat nemine urgente, homo vero ipso Diabolo seducente.

§. V.

Hi vero damnati, cum repagula legis divinæ ruperint, merito illos & participare de morte, Spiritus Sanct. asserit, æterna, cujus adjuncta præcipue sunt, ut ex descriptionibus patet: horribilitas, gravitas, interminabilitas. Eqvidem haud ignoramus, mortem illam fore ineffabilem ac infinitam à parte post, sicut nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis descen-

B

descen-

descendit, quæ Deus præparavit iis, qui ipsi crediderunt, cum tamen hoc fiat ex gratia, ita etiam nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis descendit, quæ iis præparata sunt, qui Deo non fuerunt obediens, quæ tamē pœna sequitur ex meritis, vetustas tamen iusti pavoris in nobis excitandi causa, pœnas aliquot ductu Sacrae Scripturae certis expressit vocabulis, quæ pœnæ (ut supra audivimus) sunt 1. horribiles, 2. gravissimæ. 3. interminabiles.

§. VI.

Horribiles sanè pœnæ istæ, quia vivi mittuntur in stagnum ignis ardentis sulphure. Apoc. 19. v. 20. ejiciuntur in tenebras exteriores, Matth. 8. v. 12, Erit ibi clamor ignis & rigor frigoris, erunt tenebræ perpetuæ, fumus & perpetuæ lachrymæ, Dæmonumq; aspectus, qui meritò dici meretur terrificus: cum enim quis ad tempus tantummodo spectrum videt, ita obstupescit, ut vel in morbum incidat gravissimum, vel patiatur animæ deliquium, aut penitus exspiret, vel alio modo maxime exhorrescat, uti nobis exemplo sistitur Saul, qui cum ex Samuele jam dum mortuo quædam quæsiturus, & Samuelem personatum. h. e. Diabolum è sepulchro surgentem videret, ita opstupuit, ut per aliquot Tempus cibum capere recusaret, & semper tristis sederet. Quod si hunc in modum terere potest Satanæ aspectus momentaneus, quid fiet, cum in sempiterna secula viderint eosdem? Erit ibi clamoris perpetuitas, ariditas, sitis & fames, fœtor sulphuris, vermis conscientia, &c. aures damnatorum ejulatus, & assiduas blasphemias, ut & horribiles Dæmonum rugitus audient. Una scintilla ignis gehennæ plus peccatores exagitabit, quam si mulier mille annos in partus dolore perseveret: non solum damnati cum Dæmonibus semper esse cogentur, verum etiam in sempiternum ab iis cruciari se patientur. Ibi nec fatigatur, qui torquet, aut qui torquetur nunquam moritur. Sic ignis ibi consumet, ut tamen reservat, sic tormenta augentur, ut tamen semper renoventur, sic damnati morientur, ut semper vivant, sic vivent, ut semper moriantur. Ejicientur in terram miseriam.

fum.

rum. Joh. 10. v. 12, ubi jacebunt in doloribus Es. 50. v. 11. mortem desiderabunt, sed non impetrabunt. Apoc. 9. v. 6. nec nocte ac die de quiete participabunt. Apoc. 14. v. 11. maledicent natiuitatis suæ diei. Jerem. 20. v. 14. montibus dicent, ut ipsos operiant. Apoc. 6. v. 46. Augustin. speculo peccati c. 7. Tunc horribilia patebunt loca pœnarum, Chaos & caligo tenebrarũ, horror miserix & tribulationis, timor angustix & confusionis, dolor horrendæ visionis, tremor tremendæ mansionis, ubi locus flentium, ubi stridor dentium, ubi morsus vermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi vox clamantium peccatorum & dicentium: vœ nobis! vœ nobis filiis Evæ! idem lib. de anima: In carne cruciabuntur per ignẽ, in Spiritu per conscientix vermem. Paulinus de obitu Celsi:

Vita erit his sine fine mori, & mors vivere poenis

Et durante suas pascere carne cruces.

Ipsæ suo proprio peccator corpore gignet

Carnifices, & erit vermibus esca suis.

§. VII.

Cum verò aliquoties ignis mentionem fecerimus, abs re non quærimus, qualis iste ignis futurus sit, cui substernentur damnati? Resp. qualiscunq; etiã futurus sit, præstat ignorare quam experiri. ignem vero nec elementarem, nec culinarem futurum fore, exinde colligunt nonnulli, quia Christus Matth. 22. v. 41. singularem, eumq; infernalem constituit, quando ait: Discedite à me in ignem infernalẽ, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. Angeli vero, cum omnis materiæ sint expertes, tali igne, scil. elementari ac culinari cruciari nequeunt, sed tali potius igne, de quo Christus dicit. d. l. quod etiam subtilissimos Spiritus torqueat. 2. Pulcherrima est B. Augustini ratio & responsio, cujus verba, cum hanc quæstionem ex professo tractet. T. 3. de Civitate Dei. l. 21. c. 10. recitare lubet: Si quisquam, scribit, Dæmones nulla habere corpora asseverat, non est de hac re laborandum, aut operosa inquisitione, aut contentiosa discrepatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris tamẽ veris modis, etiam spiritus incor-

B 2

pore-

poreos posse pœna corporalis ignis affligi. Si Spiritus hominum etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Idem lib. de cognitione veræ vitæ. c. 40. si ignis infernalis est corporeus, restat, ut corporalibus nutriatur instrumentis, & sequitur, ut illis consumptis ipse intereat. Sed constat ignem gehennæ non deficere. E Spiritualis est. Gregor. in c. 20. Job. ignis gehennæ, cum sit incorporeus, neque studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextingvibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Damascen. l. 4. de Orthod. fide c. 28. tradentur Diabolus & impij in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit DEus.

§. IIX.

Cæterum gravissimam mortem æternam fore, exinde constat, quia pluet Jehova super impios, laqueos, & ignem & sulphur, & spiritus procellarum erit pars calcis eorum. Tanto autem erunt graviores pœnæ, quia neglexerunt tempus, quo resipiscere potuissent. Quando virgines paratæ cū sponso intraverint, statim claudetur Janua, scil. janua indulgentiæ, misericordiæ, consolationis, spei, gratiæ, conversionis sanctæ. Nihil exinde lenitatis ad sedes infernales determinati percipient, quod quidam amicorum vel cognatorum, intraverint cum Domino gloriæ in gaudium, sicut nec electi nulla afficientur tristitia, cum cognoverint, quosdam suorum ad Tartara abiisse; nam in futura resurrectione mortuorum, cum apparuerint coram tribunali Dei, desinent omnes affectus. Tantus ibi in damnatis erit dolor ac cruciatus, ut nil nisi dolores cogitent. In hac vita calamitates quidem, sunt particulares ac singulares, dum hic Iri Codrique comes evadit, ille Martis sævitiam sentit, iste Vulcanum furentem, omniaque confumentem cernit, alius sub alio calamitatis genere defudat. Verum, mors æterna ibi erit universalis & omnibus communis, in omnibus membris ac sensibus. In hac

hac

hac vita omnes calamitates spes levationis levigat, sed ibi nulla relicta est spes liberationis. Si Diabolus tam graviter affligit sanctos ex divina permisione, quam graviter vexabit potestati suæ in æternum adjudicatos? atque hinc est, si omnes homines nati ab Adam usque ad hodiernum diem, & amplius nascendi, viverent usque ad extremum diem, & si unam pœnam, quam animo pati cogitur in inferno pro uno peccato, ex æquo patirentur, tunc particula quævis illius pœnæ unius hominis, excederet omnia tormenta, quæ omnes raptores & malefici essent perpesti unquam. Cœterum semper clamabunt:

UTinam mori possemus. Apoc. 9. v. 6.

Sicuti oves jacemus. Ps. 49. v. 15.

LAZarum procul videmus. Luc. 10. v. 23.

SOLatii spe caremus. ibidem.

FAtum hoc nostrum dolemus. Sap. 5. v. 4. 7.

Mira in flammis luemus. Luc. 16. v. 24.

REos & fratres habemus. Luc. 16. v. 28. *Gerh. in aphor. theol.*

Inter pœnas vero alias omnium longè gravissima erit ea, quod excludantur à beatifica DEi facie, ejusque favore, sicut Bernhard. verè dixit lib. de anima: Omnia gehennæ supplicia superabit DEum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti, ut obtineres. Si morti æternæ adjudicati DEi faciem viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent. Iram DEi experientur, & tamen beatificam DEi faciem nunquam intuebuntur. Bernh. ad Eugen. Papam: Cogita, quantum malum sit, à facie Christi separari, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, & beatissima omnium societate privari, mori vitæ æternæ, & vivere morti æternæ. August. de triplici habitaculo: Absentia Christi quoad visionem, omnia alia tormenta superat, & omnibus pœnis intolerabilior est. Ubi nota: Impii non sunt visuri divinitatem Christi. Es. 26. humanam tamen ejus naturam, divinâ gloriâ corruscantem videbunt, inquit ex Augustino Hutterus. loc. de extrem. judic. quæst. 9. Joh. 19. videbunt in quem pupugerunt.

Deniq; tormenta malorum æterna esse, patescit exinde, quia in igne abjiciuntur inextingvibile ac æternū. Matt. 26. v. 46. Matt. 3, 12. Marc. 3. v. 29. jam v. si ignis est æternus, habere etiā debet materiam æternam, quam in æternum exurat. 2. non exibit quisquam è carcere, donec minutissima quæq; ab ipso exsoluta fuerint. Matt. 5. v. 26. Hæc verò conditio, cum sit impossibilis, adeoq; vim habeat negandi, merito concludimus, exitum nunquam futurum esse, unde Theophyl. in c. 12. LUCÆ. *ἔτι γὰρ ἄχρι τῆς ἐσόμεθα ἄχρης ἀντὶ τοῦ ἔχατον λεπτόν ἀποδώμεν, ἔδέποτε δὲ μέλλοιμεν ἀποδῆναι προδήλον, ὡς αἰδίου ἢ κόλασις ἔσται.* i. e. si tamdiū erimus in custodia, donec extremum minutum persolvamus, quod persolvere nunquam poterimus, manifestum, quod æterna erit damnatio. Æterna verò est damnatio mortuorum, quia damnati in suo æterno, h. e. quamdiu vixerunt, peccarunt; quia æterna dona, quæ Deus illis obtulerat, respuerunt, igitur æterna supplicia meruerunt, itaq; in æternū non assequuntur, quod volunt, quid v. gravius, quā semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod semper erit? Æternum autem cum puniendi sint, certe sine fine punientur. (æternitas quippe est duratio defectibilis à parte ante & à parte post.) Ponat sibi quis ob oculos montem raræ magnitudinis (qui exsuperet universum hocce systema, fingat sibi aviculam singulis mille annis minutissimam arenulam deportantem: It. adsint omnia maria, adsit bestiola quovis millesimo anno tenuissimam guttulam ex aquis hisce hauriens. Sperandus tamen tum montis, tum aquarum finis esset. Sed in æternitate nunquam finis erit vel sperari poterit, quia erit sine fine, atque hinc tum demum damnati liberabuntur, quando DEUS justissimè eorum malis irasci desinet; quia verò tunc ejus ira erit æterna, æterna igitur meritò & pœna. Quando verè resipuerint, liberi prodibunt ex inferno, quia vero tempus resipiscendi jam præterit, & mali semper mala mente agitant, ideoque nullius liberationis vel libertatis spes remanebit. Cum Diabolus à furore suo

suo

suo restiterit, damnatus iterum ex orco prodibit; quia verò furor ejus nunquam finietur, ideoque exeundi potestas ipsis vel maximè prohibebitur. Quando mutabitur DEi justitia, mutabuntur etiã damnatorum supplicia; quia vero & illa immutabilis est, immutabilia & hæc sint, necessum est. Nec ideo DEus injustitiæ arguendus, quia temporalia punit æternis; ad districti namque judicii sententiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam carere voluerunt peccato: Ut iis non detur terminus ultionis, qui, quamdiu vixerunt, habere noluerunt terminum criminis: Ut in DEi puniantur æterno, qui peccarunt in suo æterno. Merito igitur Deus non est injustitiæ arguendus, sed potius ob suam justitiam maxime laudandus, quod non habeat respectum personæ, sed omnes maleficos ac incredulos, cujuscunque etiam sint conditionis, sive sit Papa, sive Cardinalis, sive Dux, sive Rex, sive Pauper, sive Dives, &c. justissimè puniat. Denique mortem æternam fore, probamus, quia, ut nunquam finientur electorum præmia, ita nec unquam finietur damnatorum pœna; Ad quem enim modum infinita est DEi gratia erga electos, ad eundem etiam modum infinita est ejus justissima ira adversus reprobos.

§. X.

Hic oritur quæstio non minimi momenti: Quomodo scil. impiorum corpora has pœnas sustinere potuerint, cum habeant corpora corruptibilia. Resp. verum esse eos jam habere corpora corruptibilia, sed tamen eos facta resurrectione corpora adepturos esse spiritualia, (non ratione substantiæ, sed qualitatis,) & incorruptibilia, & quidem ex ea ratione, ut debitas peccatorum pœnas luant, easquè æternas, *ὁ θεὸς ὁδοῦσιν* studiosus ambabus largietur manibus. Nam, nō absumit ignis infernalis, quod exurit, sed dum erogat, reparat. Tertull. apol. adversus Gent. c. 48. tom. 1. p. 93. B. Idē igitur divinus ignis una eademque visatque potentia & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Lactant. instit. l. 7. c.

21. p. 322.

21. p. 322. Sic absumet, ut servabit, sic servabit, ut cruciet, dabiturque miseris vita mortalis, & pœna servatrix. Casiodorus in Psalm. 20. p. 20. 2. jam olim hac de re disputarunt Scholastici, ut videre est ex dist. 44. lib. 4. sententiarum & concluderunt, futurum omnino, ut sustententur in istis cruciatibus omnipotentis potentia. August. lib. 21. de civit. DEi. cap. 4. Tom. 5. col. 1269. & seqq. Salamandra, scribit, in ignibus vivit. Quidam notissimi Siciliae montes, qui tantâ diuturnitate temporis atque vetustate, usque nunc & deinceps flammis æstuant, atque integri perseverant, satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi. Et anima indicat, non omne, quod dolere potest, posse etiam mori.

§. I.

Circa §. 9. erroris accusamus. I. Basilidianos, de quibus August. c. 4. hæres. qui inter alia, pœnas peccatorum in hac tantum vita esse, pronunciarunt. II. Sic Albanenses, circa A. C. 796. non alias esse inferni pœnas, quam illas; quas in hoc fugitivo seculi stadio & sustinemus & experimur, somniarunt. Quorum etiam Albingenses hæretici. A. C. 1216. errorem amplexi sunt, ut proditum à Cæsario Cistertiensi. III. Armenos, circa A. C. 640. degentes, qui negarunt, pœnas inferni fore perpetuas, propterea, quod Christus ad inferos descendens omnes animas inde extraxerit, referentibus Guidone Carmelita. Prateol. lib. 1. El. Hæres. 67. p. 63. IV. Origenistas & Liberatores, qui primi ex pœnis æternis fecere temporarias, & Diabulos quoque somniarunt salvandos, test. Aug. lib. ad Quodvult. hæres. 43. Tom. 6. col. 20. B. Prateol. l. 13. hæres. 5. p. 368. n. 3. Hunc errorem ex orco quasi revocavit Johannes Denckius, Anabaptista, dum Origenis dogma, quo unam & piorum, electorum & Diabolorum sortem aliquando futuram comminiscitur, renovavit. Verum omnibus hisce opponimus supra dicta, & deinceps Canonem istum in Synodo V. Constantinopolitana ordine nonum: Si quis dicit, aut sentit, temporanea esse Dæmonum & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo

quo habitura, sive restitutionem hominum aut Dæmonum futuram esse, an anathema sit. Et illud, quod Augustinus, eandem blasphemiam refutans, tractatu de hæres. ad Quod vult. hæres. 42. n. 5. vol. 10. scribit. Quis Catholicus Christianus, l. Doctus l. in doctus non vehementer exhorrescat eam, quam Origenes, dicit, purgationem malorum i. e. qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & sacri legis, atq; impietatibus maximis finierunt, ipsum etiam Diabolum postremo, atq; angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos & liberatos regno Dei luci que restitui. Salomon sane prov. 11. v. 7. ritè & bene inquit: quando Impius moritur, nulla liberationis spes ipsi relinquitur; Cui ad stipulatur Christus inqviens Ioh. 7. v. 36. qui non credit filio, videbit minimè vitam, sed ira DEi manet super ipsum. V. Photinianos, de quibus vid. Joh. Gerhard. Synopsin Neo-Photinianorum. pag. 1203. §. 26.

§. XII.

Præterea etiam notamus, gradus hujus mortis fore, idq; probamus tum ex S. S. tum ex Patrum orthodoxorum suffragiis. Ex S. S. Nam retribuet DEus unicuique, prout meritus est Rom. 2. v. 6. iudicium in proceres severissimum exercebitur. & potentes tormenta potenter patientur. Sap. 6. v. 6. 7. Quid quod Christus, ceu via, veritas, & vita ipsa, dicit: Luc 12. v. 47. 48. ille servus, qui novit voluntatem Domini, nec se præparavit, nec fecit, prout iussus à Domino, cædetur multis, qui vero non novit, & fecit digna plagis, cædetur paucis. Hanc iterum ipse confirmat c. 10. v. 12. Evangelist. citat. Dico vobis, quod Sodomis in die illo tolerabilius erit iudicium quam vobis. Cæterum ad Phariseos malignantes. Matth. 23. v. 14. inquit: Propter hoc gravius iudicium auferetis conf. Matth. 5. v. 22. Hinc satis venuste scribit Augustinus lib. 4. de baptis. contra Donatistas. c. 19. t. 7. p. 430. Dubitandum non est, ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum, esse diversas, & alias aliis acriores, ut in ipso igne æterno pro disparibus peccatorum ponderib; sint disparia tormenta pœnarum, neque enim frustra Dominus dicit: tolerabi-

C

rabi-

rabilius erit Salom̄is, quam vobis in die iudicii. & lib. 1. de peccat. merit. & rem. C. 12. t. 7. p. 661. Tanto gravior singulis pœna quanto gravius quisque peccavit. Conf. Gregor. Mag. lib. 9. moral. cap. 39. Similiter scribit, Hugo de S. Viçt. part. 18. de sacr. loc. 5. Nequaquam negandum est, etiam ipsum ignem æternum pro diversitate meritum, quamvis malorum, aliis leviolem, aliis graviorem futurum esse, sive ipsius vis atque ardor pro pœna cuiq; digna varietur, sive ipse æqualiter ardeat, sed non æqualis molestia sentiatur. Gregor. lib. 4. Dial. non incommode hæc declaravit similitudine. Sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamẽ ejus solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, alius minus, ita illic in uno igni, non unus est modus incendi, quia, quod hic diversitas corporis, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut ignem non dissimilem habeant, & tamen eos dissimiliter exurat.

§. XIII.

Itaq; merito rejicimus 1. Pontificios statuentes limbum Patrum pro Patribus V. T. limbum infantum pro infantibus nondum baptizatis, & Purgatorium, quod fingunt esse quoddam in ima telluris parte barathrum, inferno proximum, in quod animæ eorum, qui cum peccato veniali per satisfactionem nondum ad plenum expiato accedunt; conspectu Dei orbati, per verum & propriè dictum ignem exquisitissimis tormentis excrucientur, donec ex solutis pœnis ab omni macula peccati purgentur, ut puræ in Cælum ingredi possint. Conf. Concil. Trident. sess. ult. decret. de purgator: Bellarm. l. 1. & 2. de purgat, per totum. Tom. 2. col. 671. seqq. Gregor, de Valentia disputat XI. quæst. 1. punct. 1. §. 4. Tom. 4. col. 2299. seqq.) Hic duplicem purgatorii pœnam comminiscuntur. Unam damni, de carentia divinæ visionis: alteram sensus, de afflictione ignis, cujus cruciatus omnia superent tormentorum genera in hoc seculo. Ita etiam in compendio verit. theol. lib. 7. c. 3. scribitur: Minima pœna purgatorii, major est maxima mundi, & additur: Ille ignis plus l. minus cruciat, secundum quod plus l. minus de combusti-

li

li s. cremabili quisq; secum attulerit. Oportet enim priusquam facies DEi videatur, quod lignum, fœnum, stipula, i. e. majora, minima, mediocra & venalia, totaliter per cremationem consumantur. Nec satis. Addunt enim hi protectores Pontificii, prodesse suffragia Ecclesiæ defunctis. Ad solutionem vel mitigationem pœnarum, vel celeriore liberatione esse quatuor generales suffragiorum modos, ad quos omnes reliqui reducantur: Orationem jejunium, Eteemofynam, & sacramentum altaris. comp. theol. verit. lib. 7. c. 4. Et ut quilibet maledictissimus error semper suum stabilire annititur errorem ex S. S. ita nec minus hæc κακολογία & quidem loco fundamenti, cui superstruunt Pontificii hanc suam erroneam sententiam, venditant sibi (α) Matth. 5. v. 26. (β) 1. Cor. 3. v. 13. PS. 66. v. 12. (γ) 1. Sam. 2. v. 6. v. 18. v. 5. (δ) 2. Maccab. 12. v. 43. Deinde etiã ad ipsum Lutherum provocant, quasi & ipse statuat purgatorium. Verum jam ejus mentem vidimus §. 3. At necesse etiam, ut ad horum figmentum, figmentiq; probationes respondeatur tum γενικῶς tum ἐιδικῶς. Γενικῶς. Nam purgatorium est Ens rationis, quare non Ens, cujus etiam nullæ sunt affectiones; quippe S. S., ceu infallibili veritatis normæ plane incognitum est, cum hæc tantummodo duorum distinctorum locorum mentionem faciat, in quæ animæ defunctorum ferantur scil. cœli & inferni. Ita enim Pf. 55. v. 16. dicitur: Animæ impiorum viventes, in infernum descendunt, ubi nulla ipsis liberandi spes conceditur proverb. 11. v. 17. justorum verò animæ in manu DEi sunt, ubi omnium tormentorum experientia l. sensu destituuntur. Sap. 3. v. 1. adhæc etiam ipse Christus tantum duo genera hominum nobis proponit; malos s. incredulos, & bonos s. credentes. Marc. 16. v. 16. non autem addit tertium genus scil. mixtos, quos ad Purgatorium ablegant Paptistæ. DEus ipse in Ezech. passim sæpissimè inquit: Si justus se avertit à justitia sua, & fecerit iniquitatem, numis viveret? multò potius ejus justitiæ nulla mentio fiet, sed in iniquitatibus, quas operatus est, morietur. Hic non DEus dicit: tamen rationem justitiæ

ejus antea acta habebō, & propter hanc eundem in locum aliquem caliginosum detrudam, ubi pro iniquitatibus post justitiam perpetratis pœnas luet gravissimas, & deinceps; quando sensero, eum dignas exsolvisse pœnas, iterum ad me in cœlum recipiam. Ita DEUS mentem suam non explicat interpretatur, sed simpliciter iniquitatis operarii justitiæ antea acta nullam mentionem futuram esse affirmat. Ut enim quis moritur, ita servatur, si moritur justus in Christo, servatur vitæ æternæ, si minus, morti æternæ, tertium, quartum & quintum non dantur nisi in mente Pontificorum, tamen sine fundamento. Hinc venustè Augustinus inquit lib. 1. de peccat. merit. & rem: c. 28. t. 7. col. 680. D. Nec est hic ulli medius locus, ut non possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo, it. non est locus medius, ubi non sit in supplicio, qui non fuerit constitutus in regno. Nam primum est regnum cœlorum, secundum Gehenna, tertium penitus ignoramus, imo nec esse, in S.S. invenimus. Idem lib. 5. Hypogm. contra Pelag. T. m. col. 1405. C. Nunc etiam respondendum εἰδικῶς, & de promendæ eorum probariones, simulq; ad lydium lapidem referendæ sunt, ut ita videri queat, num exactè & verè de Purgatorio agant. Provocant (α) Matth. 5. 1. 2. 6. non exhibis inde, donec exsolveris extremum quadrantem. Jam §. 9. diximus, quod conditio hæc sit impossibilis, adeoq; vim habeat negandi. Itaq; idem est, ac si dicerem; Nunquam inde exhibis, quia nunquam exsolvere poteris, 2. non de carcere Purgatorii, sed ignis infernalis exitii Christus loquitur, & quidem ex consuetudine civilis judicii, ubi debitor summò jure damnatus, si non habet in ære, luat in corpore, ut debitum reddat. Matth. 18. v. 34. vel si eam præstare non potest, perpetuâ captivitate mulctetur. 3. nec sermo hic est de peccato veniali, sed mortali, scil. irreconciliatione, quæ consequentia vero ad Purgatorium? (β) 1. Cor. 3. v. 13. v. 66. ps. 12. Quod prius attinet, resp. quod Paulus ipse prævidens sententiæ suæ depravationem, quando ad ignis vocabulum venit, talem adjiciat circum scriptionem, quâ in-

tento & exerto digito demonstrat, non intelligi hic verum ac proprium ignem, dum ait: Salvus eris, sed tamē quasi per ignem, qui ignis communis est omnibus in universum fidelibus, & dicitur ignis tribulationis. Vid. fufius Walth. Harm. Bibl. sup. h. l. p. m. iiii. iiii. 2. Quod ad secundum. Resp. Davidem sapissime de aquis dicere, ergo Purgatorium erit aqua? (γ) 1. Sam. 2. v. 6. Dominus ducit ad inferos. Psalm. 18. v. 5. Circumdederunt me dolores inferni & angustia. Intelliguntur enim tentationes gravissimæ, & pericula longe maxima. Vid. § 3. Ergo purgatorium Pontificium? 2. Purgatorium est pro defunctis, David autem adhuc vivebat hæc dicens: nec testimonium de purgatorio ejusmodi perhibere poterat, quia nec est, nec ipsi Deus illud unquam revelavit. (δ) Maccab. 12. v. 43. Resp. Est liber apocryphus, quare à probandis fidei dogmatibus exulat, & nullius est autoritatis. Cæterum Conf. Joh. Gerh. Disput. de purgat. p. 1546. seqq. Deinde etiam vidimus Pontificios statuere limbum Patrum, & quidem ex 1. Pet. 3. vers. 18. 19. 20. ad quem iterum resp. tum γενικῶς tum ειδικῶς. Γενικῶς, quia oppositis etiam firma fuit in V. T. inter beatos & damnatos, scil. cælum & infernus. 2. Efficacia mortis Christi tanta fuit in V. T. quanta in N. 3. fide æquè ac nos perfectam beatitudinem consecuti sunt. Act. 15. v. 11. Conf. Joh. 5. v. 24. 4. Spiritus post mortem redit ad Deum, qui dedit eum. Eccl. 12. v. 19. 5. SS. testatur, quosdam Patriarcharum V. T. in cælum sublato esse. ENOCH. Gen. 5. v. 24. non in limbum sed ad DEUM dicitur esse assumptus. Syrac. 44. v. 16. c. 49. v. 16. ABRAHAM urbem cælestem dicitur incolere. Hebr. 11. v. 5. c. 13. vers. 16. ELIAS non deorsum in aliquem limbum dicitur esse præcipitatus, sed in cælum sursum evectus. 2. Reg. 2. v. 11. Sic & ELIAM & MOSEN cælesti gloria apparuisse legimus in monte sancto. Luc. 9. v. 31. 6. Apertam involvit contradictionem carere visione Dei, & tamen non damnatum esse, cum damnatio nil nisi carentia visionis Dei sit, & omnia Gehennæ superet supplicia. 7. Sinus Abrahamæ non est limbus

Patrum, sed ipsum cœlum beatorum. Dicitur autem sinus, metaphoricè, quia notat copiam omnium bonorum s. tranquillitatem, ut in sinu & portu maris. Abrahæ verò sinus dicitur, quia is Pater est omnium credentium; & filios suos spiritualiter fessos, quasi hujus mundi tribulationibus, in sinum, ut mater filios, recipit. Quod concernit dictum. 1. Pet. 3. v. 18. 19. 20. ad quod provocat Bellarm. lib. 4. de animâ Christi c. 13. ubi scribit de Augustino, quod dictum hoc sequenti modo ab illo intelligatur. Per Spiritum Christi inquit, intelligit ejus animam, per πνεύματι Spiritus justorum in V. T. per φυλακὴν. Limbum Patrum. Sed refellitur hæc ipsius interpretatio. 1. Quia Spiritus justorum in V. T. tam fuerunt cum DEo, quam in N. T., ut antea probatum. 2. in limbo juxta illos, fuerunt tantum pii, in hac autem φυλακῇ sunt immorigeri, qui ergo congruit? Ast resp. ex magni nominis Theologo, & quidem misis reliquis ob certas causas, D. König. Vind. Sac. loc. 42. ubi hisce conceptis verbis exprimit in Tract. de descens. ad infer. p. 27. Retinemus interpretationem literalem, & per carnem, quod Christus mortificatus dicitur, totam ejus humanitatem, cujus per mortem facta est solutio cum assumpta infirmitate, per Spiritum, quo vivificatus, divinam ejus virtutem & potentiam intelligimus, per quam anima suo corpori vicissim juncta, eiq; vita restituta est, ut sit idem sensus, qui 2. Cor. 13. v. 4. in qua virtute triumphans descendit ad damnatos spiritus, iisq; prædicavit, h. e. incredulitatem ipsorum redarguit & coarguit, iisdemq; Majestatem suam manifestavit, ut ita hæc prædicatio magis sit realis, quam verbalis, nec ad conversionem aut liberationem, sed ad confutationem; cujusmodi etiam prædicatio facta est ad divitem Luc. 16. Conspicuum itaq; superfluè, quàm ruinofum sit ipsorum fundamentum: vid. Kromajer. Theol. posituo-polem. artic. XI. de justificatione p. 673. Deniq; etiam limbum infantum statuerunt. Sed hic itidem contra S. S. nec in eadem illum invenimus. proinde ulteriori refutatione non est opus, & eadem facilitate

cilitate

cilitate rejicitur, quâ producitur, 2. Etiam, criminis circa §. 12. accusamus Jovinianistas, qui autore Joviniano (cujus hæresin describit August c. 82. lib. hæres. ad quodvult.) omnes dixerunt peccatores pares fore in peccatis & præmiis, quemadmodum quoq; nullam in cælo præmiorum differentiam admiserunt & cum Stoicis omnia peccata dixerunt esse paria. Verum & hi ex præcedentibus superfluè refutari possunt.

§. XIV.

Denique ne ponenda omittamus, circa hunc articulum maximè notatu dignum esse censemus, ut inquireamus locum morti æternæ consecratum, qui est infernus. Hunc dari, planum facit tum DEi æquitas, tum ejus veritas. DEi æquitas: Ecclesiast. c. 3. q. 16. 17. vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo; Justum & impium judicabit DEus & tempus omnis rei tunc erit. DEi veritas, quia neminem fallit. Tit. 1. v. 6. Promisit vero vitam bonis, mortem malis. Veritas promissis, eventus minis respondebit. De loco l. potius πῆ, inferni, non est, quod anxie inquireamus. præstabit, si ab ea nos cavebimus, quod vero melius fieri nequit, quam si respicimus Christi meritum, idemque nobis vera fide applicemus.

O cito Christe veni. miseros nos eripe mundo.

Inq; tua nobis da regione locum.

Sive Die media venias, seu nocte silenti,

Adventus nobis læta fit hora tui!

TANTUM.



